

6
 omnibus permanere, cum ipsa communio discordiam soleret par-
 turire, vt L. cum pater. D. de legat. 2. Vnde placuit rerum con-
 ditori, vt occupanti terra concederetur quæcunque: Ait enim
 Deuter. 13. *quamcunque terram calcauerit pestuus, tua erit.* Perdu-
 ctum est ergo tempus diuini regiminis vsque ad Noë eximij pa-
 triarchæ tempora: quo deinceps Deus suas creaturas gubernare
 cæpit per ministros, quorum primus erat Noë, cui Dominus
 gubernationem arcæ, per quam præfigurabatur Ecclesia, com-
 misit. Genes. 5. & 6. sibi que non solum, sed & filiis postmodum
 suis, rectoriam in populo dedit & legem. Porro multiplicatis
 iterum post diluuium gentibus, plerique viribus suæ fortitudinis
 confidentes, à paternis solemnitatibus progressi, vi cæperunt in-
 firmiores opprimere, & bonum omne despiciere. Quo factum
 est, vt in libro de Officijs apud Tullium legitur Romanæ sapien-
 tiæ patrem, vt sagax prouiso populorum sibi deligeret iustum a-
 liquem, virtute præstantem, cuius ductu & imperio contra ad-
 uersantium impressionem se defenderent, & indomitæ gentis
 malitiam iustitiæ legibus cohercerent. Vndè postea vbiq; ter-
 rarum secundum prouinciarum & linguarum diuersitatem re-
 gna, principatus, dominiaque terrarum ad eò permissa, & passim
 iure gentium sunt introducta, vt habetur in L. ex hoc iure. D. de
 iustit. & iure. 1. distinct. c. ius gentium. Nec attinet, quod
 Cham ille maledictus, & Nemroth, primi in orbe principes, fa-
 stu superbiæ elati viribusq; confisi, gentis suæ principatum non
 electione, sed oppressione vsurpabant primi, vt recitatur 6. dist.
 c. his itaque. Horum nempe dominatus, qui iuxta philosophos
 tyrannis dicendus est, non ab *ἐπιείκεια* matre virtutum, sed radi-
 ce omnium malorum cupiditate sum sit exordium. Post lapsum
 ergo primi omnium parentis, & diuinam pariter naturalem que
 legem præuaricatam, in statuq; miseriæ dominatus mundi exor-
 tus est, quem tantopere animus mortalium adipisci desiderat.
 In statu quippe originalis iustitiæ, intraq; paradisiacæ amœnita-
 tis vireta, nullus vnquam huiuscemodi vel regalis vel despoticus
 principatus fuisset futurus: cum principatus despoticus pœnalis
 sit,